

DECAS

Amęnissimarum Epistolarum,

Quas Claudius Achillinus Ad Iacobū Gaufridū,

Et Gaufridus ad Achillinum scripsere.

Quæ particula est maioris voluminis,


Illius scilicet Mercurij,

Quem idem Gaufridus animo versat

AD ILLVSTRISSIMVM


FABIVM SCOTTVM


Miceni Comitem.




PARMÆ, MDCXXXV.

Typis Seth, & Erasmi de Viothis.





Illustrissime, & commendatissime COMES.



PUGNANT hic mutuis scriptionibus duo amici; Altero superbit Gallia; Altero gloriatur Italia; Vtroq; tryumphant Musæ; Illos videas peregrino pede in arenam literariã descendere; pretiosis ictibus præliari, & ex armis eloquentiæ ingeniosissimas excutere scintillas. Non tot radiorum volumina componunt Orbes illi festiui, quorum & Intelligentiæ, & stellæ, & lumina, & influxus sunt ignes, quot spectabiles radios horum vtrumq; versatile ingenium eruditè iaculatur. Vter tantorum scriptorum palmam


ferat, legentis erit iuditium. Tu interea Fabi, cuius adorata affabilitas, inaudita fides, spectata prudentia, admirabilis dexteritas, Cæsarea liberalitas, Hæroica magnanimitas tantam Famæ materiam suppeditauere, vt donec elementum terræ steterit finem dicendi non sit factura. Tu, inquam, Fabi Comes Illustrissime, primarius eris tanti certaminis spectator, quando obseruantiæ in te meæ Genius impatiens iussit, vt hunc pugnæ campum tibi sacrarem. Vale. Parmæ Idibus Februarijs 1635.

Tibi ex animo addictissimus.

Bartholomeus Franchinus.

CLAVDIVS ACHILLINVS AD IACOBVM GAVFRIDVM.

Funera pulcherrimæ Puellæ quà rhetoricè, quà poeticè prosequitur.



Bijt nuper Angelica Syluaſpina virgo ſupra naturæ expectationem, ſupra oculorum deſiderium, ſupra eloquentię ſortẽ, ſupra hominum fidem, & admirationem pulcherrima; Virgo ad cuius pedes, ſi diutius vixiſſet, Imperij ſui faſces Pulchritudo citata depoſuiſſet; Virgo eo temporis articulo nata, quo pręgnantia ſydera, maturatis optimorum influxuum fętibus, & obſtetricãte felicitatẽ parturiebant; eo temporis articulo, quo horoſcopanti Veneri Iuppiter aſpectu trigono arridebat. Non eſt aut Regum, aut Cęſarum maieſtas, quæ illius vultus maieſtati non deceſſiſset. Quocunq; ſpargebat oculos vibrabat dulces cathenas, quibus omnium corda ducebat in tryumphum; potiſſima verò tryumphi gloria hæc erat, vt pręda ipſa proprię cathenæ applauderet; Verba, quæ in beato illius oris Trono regnabant tryumphatorum captiuitatem ſancire edocta amabilem libertatis iactu-

ram feliciter condiebant. Ite vos, o Mundi Reges; Sceptra vestra corporibus instant, sed sępissime animi, qui corpora informant sceptris vestris sunt longè maiores; Atq; ita non humanitati, sed humanę terrę dominamini Hæc virgo animorum Regina nobiliorem hominum partem moderabatur, neq; ab illius habenis Imperia vestra euasissent. Geminum illius frontis solem dignum, mi Gaufride, iurasses, sub cuius influxu in longiorem vitam nidificaret phęnix. Ludebant ad illius pupillas Empireę quasi fauillę amantium extasi, amantium raptu dignissimę, Dum verò ludebant, spectantium pectora serio, & attonito vrebantur incendio. Partes illius vultus ita sibi inuicem respondebant, vt illarum harmonia quasi per oculos audiretur. Natura, vt Idololatrię pericula submoueret tantum pulchritudinis portentum eiurauit, & extinxit. Pro illius salute dum langueret non erat cor, quod vota non conciperet, non erat lingua, quę vota non pareret, non erat Numen, quod votis non peteretur. Vidisses, ad illius cadauer, dum efferretur, omnium pietatem natare per lachrymas, omnium dolorem euolare per eiulatus. Digna fuit hęc mors, quæ delitias Cypri funestaret: Dum enim tenerę illius genæ pallore mortis suffunderentur, digna fuit, quæ sanguineas, & superbientes de spina rosas, rosas illius vultui consortes pallori damnaret; Dumq; lęthali frigore illius ocelli

tor-

torperent, digna fuit, quæ per colles, & montes supercilia fontium deprimeret; Vt vberiores exprimerent lachrymas; atq; tandem in luctum exinanirentur; Dumq; aureus ille capillus moreretur, digna fuit, quæ plantis, & floribus vniuersale defluuiū indiceret. Hæc hæc Virgo dignissima fuit ad cuius cineres hodie pullulet Hyacintus, atq; natiuum ingeminet ai; Quæ enim sunt illa funera, quę odoratas tanti floris querelas iustius exposcāt? Dignissima fuit (quid altius, mi Gaufride?) tuo luctu. Ego ad illius sepulcrum ita sum lachrymatus.

Hic iacet

Angelica Syluaſpina

Commendatæ, & ſuſpiciendæ Pulchritudinis Virgo,

Quam nullus vnquàm mortalium vidit,

Quin Spina punctus,

Sylua irretitus,

Angelico afflatu correptus

hęreret.

Quæ niueo digito roſeis labellis admoto.

Lucretiæ, & Helenæ Famam

eternùm ſilere iuſſit.

Vno dicam verbo.

Cymba Veneris ad hoc Saxum naufragium fecit.

Cupidines ab arcubus feriati

Intempeſtiuo cineri hæc otia fecerunt.

Anno

Cypriæ vaſtationis.

Sole de Virgine exeunte.

Venere deliquiũ paſſa.

Tù verò æternum vale.

IACOBVS GAVFRIDVS AD CLAVDIVM ACHILLINVM

Funeris immaturi caußa.



Ihil ſtupeo, Achilline ſuauiſſime, tuum luctum; ſuperba mortis audacia immaturam hanc cladem fecit. Inuidit hæc atrox Dea prodigio tã ſpecioſo, ne cogeretur illi diuidere potẽtiã ſuã. Nam gubernaſſet hæc Syluaſpina mille amantium vitam, cui iam fatale ſtamẽ ſuis crinibus præparabat. Occurrit mors tanto diſcrimini, ſuæ tyrannidis non paſſa conſortem. Parcarum numerum augeri non tulit prodeuntibus illius annis, hoc ſolùm officioſa naturæ, quòd hanc ſuſtulerit expectationem, ne creſcerent mortalium damna. Quin fortè ſęuijt acerbum hoc funus, ne pereuntium dein amores, ream virginis innocentiam accuſaſſent. Felix occaſus, qui properantibus fatis inuectus, nominis æterni gloriam maturauit huic puellæ. Sed nec diu poterant in terris ſydera collucere; violentus illis erat hic locus, vt redire primùm orta debuerint, vnde defluxerant. Impar erat illorum luci tenellum corpus, quod gemini ſolis incendio contabeſcens

cœlo

cœlo reddidit, quod cœli erat. Venerata est tua pietas superstites cineres, ea quidem lachrymarum vbertate, vt inde Sacri Olores reuixerint. Illustrauit & monumentum tui nominis fama, hoc quidem charactere ingenij, vt non manes errabunt ad vrnam, non vmbræ, sed immortales Achillini splendores. Vale.

CLAV-

CLAVDIVS ACHILLINVS AD IACOBVM GAVFRIDVM

Villa Saxi Principum Curijs prælata.



D saxi colles rusticamur, mi Gaufride, o colles, o scenas ad sistēdum fugacis Rheni theatrū, & natas, & felices. O quā innocētibus allecti oblectamētis hic a Ciuitate procul vitam ducimus. Hi riui, qui claris argumentis vbertatem fontis testantur sinceriore discursu ciuium colloquia longè anteuertunt. Tenaces harum arborum complexus, quibus contra solem superbit pia hęc, & accliuis ad Templum deambulatio, amicorum, & Principum fędera vmbrarum fide obscurant. Roseta Tybridis acrioribus aculeis armantur, quàm innoxiæ hę rosæ, quas impauida manu tractamus. Pacatę nostrarum quercuum vmbræ pulchriores spirant paces, quàm olíueta illa, quę super suos colles iactabunda extollit Roma. Ex hisce pręrupris rupibus, quę quasi tutrices aduersus Austri iniurias supereminent cliuos nil aliud agitur præceps, quàm tædium illud, quod Ciuitatis pepererat tumultus. Hæ vitales satietatis ciuilis ruinæ sunt nostri solatij amenissimæ elationes. Hìc innocentium olerum gloriosa ęmulatrix per prata per valles viret innocentia, & quies. Hìc de peregrina florum duplicitate, obstetricante oculorum solatio,

tio, & nafcitur, & promouetur animorum noftrorum aurea fimplicitas. Aurarum fufpiria funt noftræ voluptatis dulciffima refpiria. Earundem aurarum animæ, dum in exedris otiamur nafcentem informant tranquillitatem. Vmbrę nemorum funt fplendores noftrę ferenitatis. De fontium lachrymis noftræ pacis componitur rifus. Fuga fluminis prę dulci ftupore fiftit, & oculos, & pedes. Hederæ pendulæ, & intertextę, quæ quafi antrorum velamina ab aura ianitrice tractantur excludunt gloriam illius artis, qua Phenicię populi inter aulęa predicantur. Serpentia per noftros parietes malorum punicorum periftromata vincunt diuites perfarum delitias, quibus circumtecta Regum atria adorantur, quin potius vincunt eas opes, quas vnquam Cęfarum luxus imaginaretur. Hic geftiunt laurus cacumina potius noftri montis, quàm cogitabunda Regũ capita coronare. Concentus auium, qui adeo harmonicum reddit Auroræ articulũ, qui adeo harmonicè veniẽtem excipit diem dulciores cytharas obliuioni damnauit. Hic Vlmis maritatæ vites, dum per luxuriantes, fęcũdos, & vagantes palmites à maritis diuertunt defideratæ libertatis memoriam amęniffimè renouant. Eco fola curiales redolet affentationes, fed illã natura excufat, dũ altera ex parte ars infida naturæ affentatores damnat. Hoc vltimo defiderio literas claudo: Hęc eft regio cõformis candidę fynceritati mei Gaufridi. Vale.

IACOBVS GAVFRIDVS AD CLAVDIVM ACHILLINVM.

Veræ laudes Achillini colligunt ex Villa Saxi.



Vi ſaxi peramæna varietas ſupra reliquam deliciarum ſpeciem gloriatur hoc nomine, quòd præſentem habeat Achillinum. Fortè fuit, vt clarum adeo priuilegium ſupprimeres, ne dotũ tuarum hiſtoria loci formam obſcurares. quaſi tua tibi villa inuideat, quod illi Laudis materiam facit. Interroga Echo, quam habes; ea teſtabitur hanc veritatem, ſi reſponderit virtuti tuæ: non enim aliam mendaciorum fidem nouit, quàm dum modeſtiæ tuæ vocibus docetur artem adulandi. Sed & interroga modeſtiam tuam; Hæc tibi iam conſcio non ſuſtinebit inficiari, quod ſcribo. Scilicet voluiſti premere tuum nomen, ne illius ſplendore colluſtraſſes obſcuritatem vmbrarum, quas in virentibus tui campi receſſibus adeò pretioſè commendas. Pulchrum erat & vel ſolertia tua dignum hoc conſilium, ſed cui dein repugnauit ingenij tui præſtantia. Qui referes ad veritatem, quod concipere te non patitur facundia tua? Horroris imago diſperdi-

perditur ad eius lumen, & dum inaudita hactenus verborum elegantia Saxi solitudinem celebras, lumina veriùs, quàm vmbras refers. Hoc sanè exprobro iam illis ramis, quòd a mentis tuæ splendoribus vindicare se nequiuerint, qui efficaci frondium intextarum nexu coniurauerāt in lucem solis. Denique si nouum quæris tuæ virtutis argumentum, interroga tuum Rhenum, cuius fluentibus aquis toties ad Musarum satietatem impleuisti exhaustos latices Aganippes: nam lamentabili fugacium vndarum susurro testabitur iste fluuius, quàm ægrè recedat a præsentia tua, eodemque murmure prodet illius iacturam formæ, quam frustra quæret te absente. Vale.

Longioris

IACOBVS GAVFRIDVS
AD CLAVDIVM ACHILLINVM

Ciuilis Aestus descriptio.

LOngioris in villa morę te monebunt hę literæ, quæ sub æstuantis Sirij argumento cõmendabunt absentiã tuam. Votũ ego damnare iam audeo, quod mihi faciat te pręsentem, ne per ingratum prorsus officium te cuperem socium huic ardori. Communis ille luminis dispensator, quasi moliturus incendium nostrum, halitu seruido perurit hoc cœlum, & quem planetam auctorem vitæ vulgat Philosophia, in excidium vitæ iam experior coniurare. Nullũ hic auræ frigus occurrit in leuamen æstuantis; sed haustas cũ spiritu flammas ineuitabilẽ diceres occasionẽ tabis in vitã infundere. Frustra quæritur hic paucus aer, quem non afflauerit noxium sidus, frustra locus, qui nõ exarserit hac contagione. In terram altè receptus calor, exusta materia flatuum nihil exprimit nisi feruorem. Nec cedit in leuamen industria, quæ repetito aeris motu suaue frigus aliàs dabat. Nihilo seciùs quàm latentem in titionibus ignem, difflaret hunc aerem agitatio,

quem

quem nimius ardor iam ad flammam præparauit. Per omnia hîc repit calor, sed adeo violentis excessibus, vt depressam iurares ex ęthere sphæram ignis, & suis conuulsa sedibus elementa in perniciem nostram trahi. Concipe nūc maiora prodigia, cùm ignis quasi viciniam Lunæ pertęsus, per aerem deorsum ruat, & qui superbo priùs motu superabat omnia corpora, nunc ab innata suæ leuitatis consuetudine ad nos deflectat. Nec solum his euentibus, Achilline suauissime, se prodit hoc æstiuum incendium, sed grauioribus adhuc iniurijs rabies sæuit latrantis e cœlo Sirij. Qui prius maturata per glaciem hyeme siderum fallebamus ardorem, immedicabili iam ęstu conficimur; congestā enim in cella niuem soluit iniquus calor, orisque luxuriem, quæ prouida ingeniosè fuerat deliciarum, ad sola traduxit desideria. Fortè voluit planetarum ille maximus ea nobis occupare discrimina; quibus recepta per algentes calyces hiems affligere corpus solet. Sed maligna esset hęc charitas, quæ nos obijceret grauiori periculo. Sol ipse nobis inuidit hoc leuamen, ne in hac furendi licentia, alienę voluptati consentiret. Aestuantium palato noluit is niuem solui, ne periret hæc victoria superbę illius luci, & iam auidę incendiorum. Sic feruentibus illius triumphis nostrę ruinę cumulantur. In hac æstuum vehementia lánguorem is solùm leuat, qui per quietem sustinet cauere sibi noui ar-

doris

doris occurſum, vt inertiam ſuam amet, quem pigrum natura crearit. Ad hoc adactus ego remedium, corporis impetum graui premo tarditate, & quaſi laborantem inceſſum ſuperba maieſtate compono. Si ad mores ti anſiret iſthæc mutatio, gloriarer haud dubiè in hoc iuuentutis exordio vltimam maturaſſe ſenectutem. Sed ſuperis hoc vnum debeo, quòd mihi morum facilitatem infuderint, cum ætatis ſolùm decurſu mutabilem. Diu tamen placere non potuit iſta ſeueritas, quòd artubus inſueta pigritia æſtum mihi accendat acriorem; adeo viuidus indolis ardor laborat in quiete. Tu interim, Achilline, inter auium cantus, inter arborum amœnites, & florum, dies trahis fortunatos; dum ego perimentibus vndique præcinctus caloris exceſſibus, ſolatiū neſcio, quo mea damna non ingraueſcant. Ex æquo hìc motus nocet & ipſa quies, vt iam natura, quæ nobis vtriuſque cauſſas ingenuit, ſit in hoc æſtu violenta. Melior eſt, Achilline, tui Saxi natura, quæ ſuæ varietatis ingenio te ſeruabit ab his incendijs. Extulit illa tibi colles, e quorum amœnis apicibus præcipitatur omnis calor. Valles dedit, quarum vernans hilariſque ſolitudo ſe comitem vbique faciet tuis delicijs. Denique copiam & tibi fecit vicini Rheni, in cuius fluente cryſtallo naufragium patietur ardor, vt emergat tua voluptas. Sed vehementi Sol luce feriat & tuum Saxum, coniuraturus in tuam pacem. Tuorum illic ruinæ nemo-

rum omnes ardeant, & tandem exhausto flumine contabescant tuæ Naiades. Frustra Sæui erit æstiuus feruor. Aeternùm enim pro tuo leuamine fluent Castalij fontis aquæ. Plura subijcerem, quæ tibi referrent hos ardores, vel ingenij tui prodigia iustis encomijs celebrarent, Sed quasi fureret pro modestia tua calor, ipsum exhausit atramentum, ne iam scriberem virtuti tuæ. Verùm vtcumque deficiant literæ, profectò deficiet nunquam amicitiæ nostræ fides. Vale.

CLAV.

CLAVDIVS ACHILLINVS AD IACOBVM GAVFRIDVM

Aestiui caloris poetica descriptio.



Egi tuas de nimio in Ciuitate calore anhelantes querelas: Sed iuro, mi Gaufride, per indignatam, & implacabilē Solis facem, me quoq;, per hæc nemora, vmbrarum, & aurarum idololatram comburi. Videres hìc nostros Soles, prę siti extrema, suxisse olera, bibisse fontes: Flumen, quod antea pleno fluebat margine vix tot lachrymis sustinetur, quot arenarum siccitati deflendæ sufficiant; Vt hinc Nais, & sicco pede, & volitāte capillo nouas sibi sedes affectare videatur. Riui ab Austro incitati puluerulento cursu rigant oculos. Caltha, Anemone, Elycrisij, & de florum familia sexcenti non veteres, per prata, per campos fabulantur amores, sed ab acriore radio correpti odorata quasi dixerim colloquia soluerunt in cineres. Amarantis immortalibus egregij huiusce tituli iactura nunc primùm in foliorum delluuio & legitur, & lugetur. Ab hac vniuersali Florum strage non euasit Heliotropium; Vidi nobilissimum hunc Florē

 rebelli

rebelli primùm conuersione adoratos abominari radios, deinde verò sub veteris suæ fidei fide concidere. Vmbrifera hæc nemora, vt antea somnos promouerent tenacissima frondium conspiratione Solis maiestatem negabāt, nunc ab eiusdem ignibus cruciata, & torta illius radios apertè confitentur. Non est fontanus margo, qui ob desperatum suæ coronæ virorem se ipsum non dissipet in pulueres, atq; ventorum, quos integra priùs herbarum compagine ridebat solutum non volitet ludibrium. Sepes, e cuius viridi munimento Floræ propugnaculum ab armentis construxeram, obsidentis nunc solis ictibus quassata, veluti solutum cadauer ossa ostentat, & iactat. Oleæ, quę pacis est symbolum nō est pax cum Sole. Daphnis gloriosa, quæ diu moratura venerat in syluam, & sub cuius incuruatis brachijs frontes poetarum triumphabant vltimis iam tabida flammis vltimum nemori vale prænunciat, vt propterea, si suæ Daphnidi Sol non parcat quid sperandum? O felicē Narcissum, si te, tuosq; amores in hos dies fata distulissent; Non esset in syluis subdolus latex, qui, fracta de positi fide, exceptam à vultu imaginem poscenti cordi restitueret. Quin potiùs, o te infelicem, si de Narcisso pastore, sub his ardoribus, flos Narcissus vegetasses; Non enim ad fontium lymphas, sub vernis solibus, sub auris a Cupidinis ala excitatis, sed inter Cocyti flammas floruisses. Philomelarum concentus,

rus, qui nostra topiaria, & vmbellas harmonicè animabant, quiq; mihi in exedra sedenti, modò suspensi, modò præcipites suspendebant æstatis molestiam, Meridiei tędia præcipitabant; modò producti, modò intercisi producebant tranquillitatem, intercidebant fastidia; modò excurrentes, modò interplicati excurrebant in animã, interplicabantur curis; modò languentes, modò rediuiui lãguores leuabant, vitam recreabant; modò tumidi, modò extenuati inflabant solatia, extenuabant męrores; modò submissi, modò elati submittebant satietatem, efferebant gaudia, modò queruli, modò hilares mulcebãt querelas, promouebant hilaritatem, nunc inter funestas tanti caloris faces, inter sæuientes flammas læthaliter obmutuerunt. Væh tibi Roma, si te, sub tali syderum tenore, Nero succendisset; superbi enim Quiritum aquæductus, qui aereos ducunt Ganges, ne stillam quidem humoris in extinguendas flammas effudissent. Ni Salamandræ frigore ipsa concrescat natura, in extremo, ni fallor, versatur periculo, quando stellarum ignes ita conspirant, vt illud demoliantur elementum, quo rerum compago in secula firmabatur. Sed augetur periculum in nobis, Gaufride dulcissime, cum enim, prudenti naturæ decreto, sit sancitum, vt, aere cor nostrum reccurrente, viuamus, nũc verò solos in pectore tractemus ignes; Certè vereri licet, ne præcordijs in dies ignitis, flammæ tandẽ, & naturę ce-


 damus.

damus. In media ipſa aeris regione perijt antiperiſtaris; hoſtiles enim conatus longè calor ſuperauit; Quare in tanto diſcrimine id ſolamen ſentit Bacchus, vt grandinem non timeat, ſi tamen, & ipſe non perijt flamma, antequã gelu non timeret. Verùm, ſi tales æſtus ſeruauerit hoc anni tempus, Vulcanum audiet Deorum Senatus vocantẽ in Iuditium Apollinem, atq; inſolentem illius tyrannidem accuſaturum. Non patietur fumoſum illud Numen alio, quam ſuo moderamine vim flammarum diſpenſari; ſed ex eo aduerſarium criminabitur, quòd pulchræ lucis prętextu per vniuerſa terrarum furens cuncta comburat. Aſſurgent accuſatori in teſtes Nympharum collegia: Dicent Hamadryades non eſſe plantam, quã folijs, phylliriſq; cumbuſtis, ſuæ non pudeat nuditatis: Dicent Naiades non eſſe flumen, quod monſtroſo curſu non fluat in Solem, nec eſſe littus maris, quod vana fluminum expectatione non ardeat: Dicent Napeæ non eſſe cæſpites in pratis, qui de torrido textu lacertarum penetralia non prodant; nec in hortis eſſe flores, qui coram radio defuncti famelica apum murmura non eludant; Deniq; dicent Dorides, non eſſe cur mortales diei ſtupeant longitudinẽ; ęgrè ſcilicet Amphitrites occidentem excipit Solem, verita, ne victrices flammas in humido ſinu excipiat. Phaetonteam nunc Apollo iactabundus damnet imperitiam: Ipſe ipſe neſcius flammarum ignes fręno cohibere non valet.

valet. Sed quę improuisa mihi sub Alnorum vmbris hæc exaranti blanditur, & murmurat aurula? An Phębus a Vulcano conuictus detectum suspirat crimen, & mendicatis a Berecycinthię pectore suspirijs damnum nititur emendare? O auram tam diu expectatam; tibi vireant verbenę, te coronent gramina, tibi reuiuiscat Bacchus; Humilis tibi Flora rideat; Superba tibi Pomona tumeat. Tibi verò, Gaufride suauissime, hoc precor, vt per lenem hunc spiritum ab ardoribus æternùm valeas; valeas, quãdo, nisi valueris, video crudeli mora differri admirandam illam tui Filogenis, & Calistus historiam, quę rhetoricæ veterum gloriæ silentium eloquentissimè indicet. Vale.

IACOBVS GAVFRIDVS AD CLAVDIVM ACHILLINVM

Luctus ex amici perempti nuncio.



Tſi meus hìc luctus vix animum patiatur auerti in alienæ felicitatis inuidiam, non potui tamen, quin amœnitate, qua te tuum Saxum beat, per ſuauiſſimam imaginem me compellarem. Nec in dolorem meum peccat cogitationum hęc libertas. Quòd enim iam nequeam datam tibi fidem implere, certè mœrore nouo ægritudinem meam augeo. Qui promiſeram & volueram quoque tuam in villam eniti, nunc cogor, & tibi & mihi deficere, ne mei doloris præſentia tuam confunderem hilaritatem. Lauda charitatis hunc impetum, continuòque damna mortalium vices, quas vel ſucceſſibus violentis maturant plerumque Fata. Mihi nuper & Muſis abſtulit cruenta manus Ioannem Baptiſtam Sacramoſium, & recidit eodem ictu ſpem illam, quam in ſui nominis incrementum conceperat ipſa virtus. Heu! perijt qui ex ardentibus bellorum tumultibus retulerat toties victricem manum; qui toties hoſtiles laurus funeſ-


tauerat inuicto ferro, & quem Germania ducem videtat barbarorum cœde gloriosum, iam patrius luget Athesis improuiso percussum facinore. Cecidit, Achilline, cui tot elusa discrimina, tot relati de fortuna triumphi promiserant æternitatem. Num iam ingrata est mortis auiditas, quæ rependit Fatorum perniciem, cui debet beneficia tot prędarum? Raptum hunc prętulit funesta Dea innumeris illis cladibus, quibus generosa Sacramosij manus eius pallorem cumulasset; Sed temerariam hanc illius ingluuiem elusit euentus. Melior enim deinde vita eripuit morti, quem illa nobis amicum abstulerat. Verùm vtcumque fuerit ab solo traductus ad cœlum Sacramosius, turbauit hęc eclypsis Heliconem, quem is ingenij sui lumine serenebat. Turbauit & latices Hippocrenes, quos ille toties suis illustrauerat atramentis. Nec tulerunt hanc iniuriam Musę, quę de more diuertebant ad eruditas alumni delicias. In vindictam acerbę cladis coniurarunt, vitalibus afflaturæ suspirijs famam tanti viri. Denique funerato corpori parentarunt hæc Numina, sed lachrymarum vbertate testata iacturam suam. Eandem tu iactabis pietatem, si aliquo tuę Musę argumento lugebis nuncium tam infaustum. Nec ad ferale carmen dolebit illa, quod pangetur in casum alumni. Mœrorem veriùs tam pius furor subleuabit, quem potuerit ipsa cōcipere. Si te respicis, suauissime Achilline, si amici me-

moriam

moriam curas, denique si seculum ipse amas, prorsus hoc debes. Da sodes hunc famę laborem, & quàm aliorum virtutem colas, iustissimo labore prode. Nam & laborabis ipse tibi, cum in alijs celebrabis, propter quæ laudaris ab omnibus. Percrebrescat igitur tuę villæ silentium, & cantu prouocato dictet, quę possint Sacramosij manes apud exteros commendare. Sic enim præter ingenij tui laudem, beneficium etiam dabis, quòd asperum mentis vlcus mulcebo lectione tam pulchra.
Vale.

CLAVDIVS ACHILLINVS AD IACOBVM GAVFRIDVM.

Laudis occasio sumitur ex ipsa morte Sacramosij.




V'æcumq; oriuntur, & intereunt, Gaufride eruditissime, desiderio gloriæ, quodammodo teneri depræhẽdimus. Gemmascit ille flos, & extuberat, mox verò quasi supra stirpis conditionem elatus, odorata superbit gloria. Pinus, & illa, vt syluestrem aucupetur applausum, Vulgus arborum perosa, ex illarum cætu proceritatem exsinuat. Olympus procellas ad latera dedignatus in tranquillam montium gloriam assurgit. Adamas, vt lapillaris gloriæ titulos sibi soli inscribat, cuiusuis lapilli lucem acutissimis perstringit radijs. Roma gloriatur bellis, exultat pietate. Memphis pyramides ostẽtat. Gallia vnum in literis iactat Gaufridum. Sed quid mirabilius? res ipsæ, quę non sunt, Vulgi & ipsę conditionem aspernantes suam sentiunt gloriolam. Mors ipsa, vt singulari triumpho conspicua incedat Sacramosium, in medio cursu gloriæ, supplantauit, & proprium currum tanta onustum præda ad sui palloris Tarpeium iactabunda

da euexit, atq;, per suę Falcis iura, hoc tempore iurat, se nobiliorem messem anteà non fecisse. Luge propterea, Gaufride, luge, quandò & lugent Eliconij Cycni, & luctu illo Aganippidis vnda exundat. Luge, quandò tui bata Musarum serenitas luctus pluuiam expectat. Luge, quandò Phębus ipse in tanta radiorum iactura imbres luctuū non auersatur. Luge, Gaufride, sic enim Laureta, quę Ascreos coronabant colles, quęq; foliorum defluuio nudata, pr ę cruciatu penè aruerant, tuo luctu sensim reuirescent. Luge, ità .n. tuus luctus fecundabit Cyprias tempestates; Ibi quippe Myrtera Veneris natant inter lacrymas Cupidinum, qui, desperata imposterū arte iaculandi fregerunt spicula, atq; dolorum imbribus pharetras impleuerunt. Eia, age, Gaufride, arripe Sacramosiæ Cytharæ cadauer, affla suspirijs, irrora fletibus cumq; sacro dolore sanciueris precare carminibus Apollinem, vt nobiliores illius Olores in eo nidificent, Quis sit, an concentus de nido erudiant, & rediuiuum redhibeant Sacramosium? Quo scribebat calamo lyrica fama dirauit alas; Hæc, si dispereat, calamus ipsę translatus in cęlū facesset in stellā. Aurarum animæ, quas ipse cantu mulcebat, iuerunt cateruatim in poetarum suspiria, neq; aliunde, quàm ex funesto illo ministerio solatium captant. Sic verba mea, prę dolore concepto, eunt in silentium. Vale.

Nolim

IACOBVS GAVFRIDVS AD CLAVDIVM ACHILLINVM.

Satyra in Scholæ audaciam.



NOlim ampliùs fauere silentio, quod nocet indagini tam curiosæ. Satyram enim id iustissimam premeret, quam in audaciam ingeniorum hesterni cõgressus occasio excitauit. Id abrumpam literarum hac materia, in qua mecum detestaberis, qui nusquam egressi naturæ fines, examen ingrediuntur increatæ substantiæ. Hi quasi vilescerent mysteria fidei, audent scire, quod gloriosius est omnibus credere, & penetrato suę temeritatis acumine in supremam ideam, mendacij quærere occasionem. Sed longiùs ab humano phantasmatę recedit Deus, quàm vt possit vllo cogitationum vigore capi. Nusquam enim potest ad hominum mentem accedere, quod transire per sensus nequit. Quamquam diuinitatis æmula mentis substantia, sit tamen desiderio corporis inquinatur, quippe cuius potentijs clausa, se materiæ consortem facit. Hinc errorum prima ratio, quos ab ortu nostra ducit contemplatio, Hinc imaginum illa necessitas,

cessitas, quę nos inclinat ad corporum formas. Hinc prima semina intelligentiæ, quæ rerũ extenuata crassities vbique solet adumbrare. Ab hac conditione frustra quæras examen abstrahere, frustra tuum informare ingenium simplicissimis rerum ideis. Naturæ decretum nos obligat his speciebus, per quarum vmbras lucere nobis solùm potest sublimior meditatio. Nam ex imaginum hoc crassamento radius quidam erumpit veritatis incorporeæ, qui continetur in animi repugnantis energia. Quem enim phantasmati negamus assensum, supremis applicamus rerum gradibus. Verùm tenuis est ista cognitio vix digna curiositate philosophi, vt quę solùm intelligere potest, quod sibi nequit repręsentare. Sic ludimus circa rerum ideas, vt quas nobis sub imagine corporis efformamus, æstimemus immortales solo phantasmatis refutatu. Hic dissensus est arbiter naturarum, hic æstimator omnium graduum, denique hic iudex æternitatis. At num insaniæ proximum dices, ex errore phantasmatum inferre numinis intelligentiam? potest naturę impetus nos in abstractas formas intendere: potest maturum rationis examen ad immutabilem caussam pertinere, vnde pendeat necessario, & intrinseco nexu vniuersa hęc rerum machina: potest acumen ingenij fidem nobis solicitare diuinitatis. At sit absurda vel decreto meliorum illa disputatio, quæ simplicitatis infinitæ caracteres distinctis quærit ideis cõ-

cipere.

cipere. Possumus illius dotes pio verborum apparatu explicare nostræ tenuitati, & pugnantium naturarum discordias remouere a mysterijs fidei. Sed impius esset is labor, quo nobis auderemus exprimere veram imaginem nostri cultus. Hic solùm potest obsequijs comprehendi, non audacibus argumentis, quę raptum ingenium per controuersias, velut in pœnitentiam temerarij cæpti immanibus allidunt erroribus. Quis mentis supremæ consilia, quis decreta, quis intelligat immutabile nomen? Distinguimus in momẽta, quod momento simplicissimo mensurat æternitatem, & separamus in conceptus, quod notione indiuisibili dotes immensas capit. Certè repugnamus deinde horum defectuum caussis, sed eodem dissensu crassitiem nostram asserimus, & comprobamus nostræ mentis impotentiam. Verùm vtcumque cæca sit ista contemplatio, tolerabilis tamen esset si finiretur in hac specie. Nunc audet multorum ingenium momenta fidei clariori ratione discutere, & mysteria reserare, quorum sancta & venerabilis auctoritas, omnino deficeret, si cõpręhendi a nobis posset. Adeo vilescit mistione sui corporis anima, vt inquinet suo lumine, quidquid supra naturam intelligit. Surgit illius impetus ad numerum Personarum, quas sub triplici relatione veneramur, & quod omnium est altissimum, illarum originem sub vnius naturæ respectu distinguit. Hîc verò quot commenta, quot

ambages

ambages irretiunt animos? applicamus Diuinitati, quas rationes colligimus e creaturis, sicque laruam Numinisque figmentũ intelligimus non verum Deũ, cuius vera & christiana perceptio expectari omnino debet ab luminis purioris auxilio. Audi, mi Achiline, qùi pessima doctrinæ vanitas corruperit multorũ ingenia, quę temerarios ausus tollunt ad ipsum opificem, vbi deficiunt in exprimendis operibus. Cùm insolenti prodigio cõuelluntur naturę vires, & soluti elementorũ fines, nobis exponunt nouitates, quas stupore laudabili ipsa explicat philosophia; tunc omniũ examẽ silet, & audita miraculi voce fręnatur oĩum curiositas. Nunc sustinebimus miraculorũ auctorem qui discrimine prorsus immenso præcellit ipsis miraculis, intelligere? Verùm quia procul ab nostro captu distat supremum illud, & immutabile Numen, iccirco multi ambitiosè quęrũt illius examine suã superbiã erudire, non suũ ingeniũ. Superflua sunt illa dogmata, quibus in scholis cauillantur otiosi. Sed gloriosi sunt illi cultus, quibus nostra pietas illustratur. Non aliud studium est excolendum, nisi quo vera fides, amorem potest in nobis accendere. Nam optatissimam notionem dabit aliquando merces empyrea, dum a corporis necessitudine liberi, a fide transibimus ad immortales aspectus. In huius euentus expectatione nostra quiescat curiositas, nec alijs stimulis proritari hæc quærat, quàm amoribus vbique

pijssimis.

pijssimis. Iam intellectus acumen hoc cedat voluntati, vt suis affectibus hæc cognoscat suum Deum. Fortè erit vt huius pietas religiosis ignibus caliginem dissipet cœcutientis audaciæ, & quasi gloriæ lumen maturaretur, clarescant ad faces charitatis ineffabilis mysterij caussæ. Consilium hoc nobis fruticet præmia tam gloriosa, quibus tandem, Achilline dulcissime, & tua & mea vota coronet æterna felicitas. Vale.

CLAVDIVS ACHILLINVS AD IACOBVM GAVFRIDVM.

Non tam imbecille Dei lumen clarescere Viatori.



Reme satyrã, mi Gaufride, quam nuper excitasti in illa ingenia, quæ in tenebricoso corporis ergastulo clausa, humiq; reptantia inaccessibilem Diuinitatis lucem tentare non reformidant, in illa ingenia, quæ terreno mancipata carceri Olympicam iactant intelligendi libertatem: Preme, inquam, satyram, ne lacessita hæc ingenia de logicis faretris promant spicula, quæ te confodiant. Sed quid tibi timeo? Nota est mihi fortissima illa eruditionis lorica; Notus est mihi adamantinus ille clypeus, quo & armatum, & munitum accerrimè sustines ingenium. Quod, si quid mihi tecum de re proposita differere licet, paucula quædam subijciam, sed parce scolasticis terminis; Quando Rhetoricæ lucis affectatione sinceritatem scolæ obscurare non decet. Non intercedit tantum diffidij, quantum ex elegantissima tua doctrina colligo inter nostram intellectionem, & obiecta illa, quæ tum ratione, tum re abstracta intelliguntur. Re-

cogita

cogita primum eiusdem intellectionis humanæ gradum, & non nisi per immateriales, quas intelligibiles appellãt species absolui ingenuè fateberis: Excitatur quidem in nobis phantasma corporis vicarium; sed Intellectus agẽtis lumini expositum materiæ conditiones exuit, atq; indiuiduali abiecto cortice, facessit in spiritalem intelligibilitatis nucleum, qui Intellectui possibili degustandus offertur: Atq; in hac mensa respuitur præcedens illud phãtasma, cuius refutatus eruditum tibi mouerat risum; Hęc verò est dignitas animi nostri, qui ad spiritalia eleuatus corporum contagionem dedignatur. Quæ res accommodato exemplo illustrari facilè potest. Iacet infans in incunabulis non inuolutus solùm, sed pannis quasi sepultùs; Inde verò paulò post nutricis suæ manu subleuatus huc illuc nutanter ducitur, donec tandem firmato pede, & informato gressu, incunabula tanquam sibi inutilia & despiciat, & subuertat. Iacet in incunabulis materiæ, corporeis inuoluta crassamentis & infans, & sine verbo species intelligibilis: Intellectus agens quasi nutritius eam inde attollit, vt ipsa tandem spiritali pede firmato suapte natura transeat ad intellectum possibilem, qui eam verbũ docturus humaniter excipit, atq; tanto souet amore, vt se ipsum illi prorsus identificet; Tunc verò materiales illæ præcedentis phantasmatis reliquiæ tanquam pro illo statu inutiles refutantur; Scio verò vniuersas huiusce exem-

pli partes rei demonſtratæ non conuenire; Quando infans in incunabulis eſt actu, ſpecies verò intelligibilis poteſtate ſolùm iacet in materia; At ſcio quoq; eam exemplis non eſſe indictam legem, vt omnes partes ſibi reſpōdeant. Atq; hic eſt primus humanæ intellectionis gradus. Quod ſi mens noſtra in rudiori, & humiliori operationis ſuæ gradu hoc feliciter præſtat, quid, mi Iacobe, præſtituram putas, vbi altius ſubleuetur? In ſecundo igitur gradu, vt ad Deum eleuari incipiat, illius eſſentiam cum hac eadem intelligibili ſpecie collatam ſpoliat omnibus ijs prædicatis, quæ ſpeciei conueniunt, vt propterea per negatiuam Theologiam inquirat quid primùm Deus non ſit, vt deinde ex eo, quod non eſt, quid ille ſit conijcere incipiat; Atq; verè conijcit Deum ipſum omnem ſubſtātiam, omnem entitatem, omnem immaterialitatem tranſcendere; Vt hinc videas, ſi ſecundum hunc gradum ſpectes, Mentem noſtram adhuc puriùs, ſubtiliùs, ſpiritualiùs eleuari. Mitto hìc vulgares illas motuum ſemitas, per quas venatus eſt Ariſtoteles primùm ſecundarios orbiũ motores, deinde verò primum; Hic enim progreſſus magis ad quæſitum an ſit, quàm ad quæſitum quid ſit Deus ſpectare videtur. Mitto hìc naturale illud lumen, quo duce, idem Ariſtoteles cognouit & Deum prouidere, & eſſe idem cum ſua intellectione, quod poſtremum cum noſtra Religione mirabiliter cōſentit; Nihil autem feliciùs,

vllo

vllo vnquam tempore admirationi meæ exposuit Peripateticum illud ingenium, quam quòd illuc prętervolare potuerit, vt intra naturę vires intelligeret substantiam dari posse, quæ idem esset cum sua actione. Mitto hìc omnem Theologiam scolasticam affirmatiuam, quæ licèt ex reuelatis deducatur principijs, ad non reuelata tamen progreditur, atq; inde fit nostræ fidei firmamentum, & aduersus hæreticos infracta, & constantissima tutela; qualem, & ingenio, & linguæ tuæ commendaret Deus, si cum ea gente congredereris. Mitto tandem Theologiam mysticam, & symbolicam, quæ per sacras sparsa literas nos typica manu ad Dei cognitionem attollit, quamq; testatur Paulus, pro parte defecturam in Patria; speculũ quippe, & enigma dissoluetur, & sub ænigmate contẽtum, suprema claritate, reuelabitur, quę specula, quæ ænigmata, qui typi, quæ symbola, quę mysteria non tam imbecille Diuinitatis lumen viatoribus aperiunt. Sed eia age, mi Gaufride, mecum attolle ingenium ad tertium humanæ intellectionis gradum, & per sacros Diuinitatis flores animę nostræ spatiabitur odoratus. Cum intellectus noster intelligibiles rerum species fuisset contemplatus, cumq; Diuinitatem cum ijs comparatam, earum prędicatis spoliasset; quos duos esse dixi intellectionis nostræ gradus, intensè tandem, & fixè Deum cogitans rapitur in illum, atq; quãdoq; mirabilem patitur extasim, in qua

Deus

Deus ipsi per ineffabiles illabitur species, per quas ab illo sine ęnigmate cognoscitur. Hic omnia, igeniosissime Gaufride, sunt admirabilia, ineffabilia, inscrutabilia: Híc terra miscetur Cęlo, Cęlum descendit in terram: Hìc Beatitudo peregrinatur in via, via transformatur in Patriam: Hìc viator moritur, quia felicius viuit, quinimmo feliciùs viuit, quia moritur. Hìc anima extra corporis cācellos est rapta, sed a cancellis corporeis non mouetur. Hìc potentia incapax eleuatur ad substantiam immensā; sed immensa substantia demittitur in modum. Hìc intellectus dum perfectiùs cognoscit, incognitas induit formas. Neq; verò putes hasce species, per modum habitus in nostro intellectu imprimi; Illabuntur enim quasi vnda pręterfluens, vt propterea qui raptus erat, ab illo raptu restitutus nihil eorum quæ viderat recordetur; Restet verò tantummodo memoria vitalis actus obscuri tamen in suo termino: Hinc asseruit Paulus se illa vidisse, quæ fas homini non est loqui; Non quia, sub anathemate pręceptum fuisset Paulo, ne illa manifestaret, sed quia impotens erat Paulus ad ea significanda, quorum species ab illius mente pręter fluxerant: Hinc vide quantùm humana ingenia materiæ captiua, Diuinitatis sint capacia; Vide quantùm iuris mens nostra, contagione terræ infecta ad punissimas cęlicolarum substantias sibi vendicare glorietur; Vide, an dederit Deus animæ nostræ, vt de terrena

radice

radice in Diuinas auras quandoq; feliciter efflorescat; Vide tandem quãtùm hęc eadem anima in terreno creata conceptu a spiritalibus recreetur obiectis. Hæc tibi, cordatissime Gaufride, non contradicere, sed quasi condicere volui; Quòd si qua ex parte non conueniam tecum, ignosce, quando, si ex omni parte conuenissem, hinc mihi ad te scribendi erepta fuisset occasio: Optimè nosti ex vnisonis nullum melos emergere. Hoc ipso temporis articulo, quo scribendi finem facio ex amico intelligo tuum illum Filogenis partum, quem in fæcundissimo mentis vtero conceperas ad exitum maturari; Vrge opus, quando video Gloriam, quasi glorię auidam instare, vt tanto fętui obstetricetur. Vale.

Imprimatur

Fr. Ambrosius Rogerius Jnquisitor Parmæ.

Franciscus M. Sinib. Vic.

Vidit Moriscus Gub.